



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 82. Guisii Ducis exercitus Romam delatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. LXXXII.

Sæcul. XVI  
A.C. 1557.*Guiffi Ducis exercitus Romam  
delatus.*

Postquam Neapolitani Regni invasio esset decreta, consultantibus Caraffa Cardinale, ac Guiffio Duce, qua parte in regnum impetus fieret, tandem tutior visa est via, quæ per Firmum, Asculum, & Civitellam iter pandit. Ergo Guiffius Bononia digressus forum Cornelii, & Ravennam petit, & inde per Picenum itinere facto Faventiam, Livii forum, Cæsenam, ac postremo Ariminum pervenit, ubi Paulus Jordanus Ursinæ familiæ Princeps, ac Cosmæ gener Pontificis jussu sese cum ipso conjunxit, & præmissis inde Essim exercitu ipse Pisaurum, ut cum Urbinatum Duce ageret, profectus est, demum vero veredariis equis Romam ad salutandum Pontificem cum Caraffa contendit, ubi etiam feria tertia ante verum jejunium cum magno populi applausu exceptus cunctis honorum signis cumulabatur, urbem ingressus, perinde ac si insignem reportasset victoriam: adeo enim populus tripudiabat, huncque Virum veluti Liberatorem suum venerabatur, insuper eundem Magistratus, quamprimum ille urbis portam ingressus, ac arcem S. Angeli prætervectus

*Hist. Eccles. Tom. XLII. li erat,*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1557.

erat, bina tormentorum explosione honorabat: altera autem die, quæ erat dies cinerum illo eodem anno in diem vigesimum secundum Martii incidens, Guisus Sacro solemni, quod Papa in Basilica D. Petri celebrabat, interfuit.

§. LXXXIII.

*Civitella a Gallico exercitu obsessa.*

*Thuan. Et  
Raynald hoc  
ann.*

**I**nterea ad Guisii adventantis famam Albæ Dux misso Ascanio Corneo, qui urbes, quas circa Neapolin muniri jusserat, inspiceret: ipsemet vero die undecima Aprilis magnis itineribus Sulmonem contendit, indeque Theatem, & Atrium profectus Sanflorianum Comitem Civitellam præmisit, qui incolas ex proximæ obsidionis rumore territos erigeret: haud temere enim sibi timebant, eoquod Galli Gamplium urbem non nisi tertio lapide Civitella disitam jamjam cepissent, atque omnia ferro, sanguine, ac libidine, quin ulla ætatis, sexus, vel Religionis haberetur ratio, foedassent, dum hanc urbem die decima quarta Maji ingressi fuerant. Paulo post Galli usque ad Civitellæ portas excurrebant circa idem ferme tempus, quo Sanflorianus ab Albæ Duce missus eam ingrediebatur. Præerat urbi Carolus Loffredus unacum mille ducentis Italis, ac duobus popularis mili-